

## § III.

DE IMPEDIMENTIS, QUÆ MATRIMONIA DIRIMUNT A RELIGIONIS SANCTITATE.

XXVI. Ejusmodi impedimenta præcipua sunt, 1. *Cultus disparitas*, 2. *Ordo sacer*, 3. *Professio religiosa*, 4. *Ligamen*, 5. *Defectus Parochi*, ac *Testium*, ac 6. demum *Crimina Homicidii, et Adulterii*. De *Ordine sacro* satis Libro super. *Tit. XXIX.* et de professione religiosa *ibidem Titulo XXXI.* Tum de *Parochi, duorumque testium defectu Tit. super.* Quæ supersunt reliqua hic paucis explicabimus.

XXVII. *Cultus disparitas*: Ejusmodi dirimens impedimentum non in omnibus religione disparibus locum habet, sed tantummodo in iis, quorum alter sit baptizatus, alter verò, vel nunquam, vel invalide baptizatus: idque solo Ecclesiastico jure antiquissima, ac universali consuetudine inducto, non tamen ante sæculum VI. Unde S. Monica, teste Augustino *Lib. IX. Confess. cap. 9.* nupsit viro infideli, et S. Clotildis Clodovæo Regi nondum baptizato. (\*\*). Verum ante sæculum VI. Syn. Illiberit. *Can. XV.* prohibuit, quod virgines christianæ Gentilibus nubent, *Can. XVII.* Idolorum Sacerdotibus, *Can. LXVII.* comicis, et scenicis viris, *Can. XVI.* Judæis, et Hæreticis; eo quod, ait, *nulla possit esse societas fidelis cum infideli.* Syn. etiam Tolet. III. *Can. XIV.* et Tolet. X. *Can. VII.* Judæorum uti dem cum christianis sœminis concubia vetuerunt. (\*) Conjugia Catholicorum cum hæreticis sunt quidem legibus Ecclesiasticis prohibita, quum gravia inde mala plerunque exoriantur; attamen valida sunt, quum nullo positivo jure irrita demonstrari possint. (1) Atque adeo secluso subversionis alterius conjugis, ac prolis inde suscipiendæ periculo, certisque positis conditionibus, petita Rom. Pontificis venia, licita etiam sunt. Unde Urbanus VIII. ob communem religionis utilitatem Henricæ Borboniæ facultatem impertivit nubendi Carolo Anglorum Regi hæretico.

XXVIII. *Ligamen*: Dum matrimonii sœdus inter viventes conjuges integrum stat, sive ratum solummodo, sive consummatum neutri fas est ad secundas valide nuptias transire, idque lege Divina ex Apostoli sententia I. ad Corinth. VII. v. 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit:* Cap. 2. de *Secund. Nupt.* (\*\*). Quod quidem definivit Trid. *Sess. XXIV. de Sacr. Matr. Can. II.* Unde sœminis, quæ propriis relictis viris, aliis copulantur, *nec in fine* communionis gratiam elargiendam esse decrevit Syn. Illiber. *Can. VIII.* At Syn. Tolet. XII. *Can. VIII.* licet pœnas statutas olim in repudiantes conjuges temperaverit, constituit tamen, viros relinquentes jam ductas uxores, tamdiu ab Ecclesiæ communione, et Palatinæ dignitatis officio segregandos esse, quamdiu ab ipsis sujuncti permansissent. Synod. quoque Compost. an. 1056. *Cap. III.* excommunicationem in eosdem infligit. Et Hispal. an. 1512. *Cap. XXXVII.* ultra pœnas à jure stabilitas, gravem etiam pecuniariam eisdem comminatur. Reges quoque plures in poligamos pœnas decrevere. Alphonsus Sapiens in insulam deportandos esse constituit *Leg. XVI. Tit. XVII. Part. VII.* Alphonsus XI. Henricus III. et Carolus V. proditorum pœna, et dimidiæ bonorum partis amissione puniendos sanxerunt, *Leg. VI. Tit. I. Lib. V. Novæ Recop.* Joannes I. animadvertendum in ipsos pœnis à jure statutis, atque etiam candenti ferro in fronte notandos voluit *Leg. V. eod.* Carolus V. Imperator pœnas omnes prius stabilitas in poligamos confirmat, et Par-

(1) Contra tenet lex XV, tit. II, part. IV.

titarum Legem deportationis in insulam, de deportatione ad Hispaniarum triremes interpretatur *Leg. VII. eod.* Id unum hodierno Canonico jure constat, non posse nuptias iteratas contrahi, nisi habito prius certo de prioris conjugis morte nuntio, *Cap. 2. de Secund. Nupt.* et laud. Syn. Hispal. præf. *Cap. XXXVII. (\*)*

XXIX. Denique crimina *Adulterii, et Homicidii* quod spectat, antiquitus Adulterium dirimens prorsus erat Matrimonii impedimentum; id quod (\*\*) innuere videtur Synod. Illiberit. *Can. LXXII. (\*)* et Leges Imperatoriæ præscripserunt: *Novella Justiniani CXXXIV. cap. 12.* et *Leg. XI. et LX. Dig. ad Legem Juliam de Adulteriis.* Id quod Ecclesia probavit: *Marito mortuo*, inquit Augustinus *Lib. I. de Nuptiis, et concupisc. cap. 10. cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit;* (\*\*) et in Syn. Melden. an. 745. *Can. LXIX.* transcripto à Gratiano *Can. V. Causs. 31. Q. I.* qui illum Triburiensi retulit, et in Syn. Triburiensi an. 895. *Can. LI.* apud Gratian. *Can. III. ejusd.* sed Concilio apud Althæum falso tributo. (\*) Quum verò Gratianus hanc Augustini sententiam sine negatione protulerit in *Can. II. Causs. 31. Q. I.* hinc factum est, ut jure Decretalium Adulterium Matrimonium non dirimat, nisi 1. ubi maritus adulter aliquid in mortem conjugis suæ, vel mariti adulteræ machinetur, ut cum ea contrahere possit; vel ubi adultera eodem intuitu necem sui mariti, vel uxoris adulteri adtentarit: *Cap. 3 de Eo qui duxit in matrimonium &c. 2.* ubi adulterium comitem habeat de matrimonio post conjugis mortem contrahendo promissionem: (\*\*) *Cap. final eod.* Quam quidem utriusque capituli doctrinam amplexus est Alphonsus XI. *Leg. XII. Tit. I. Lib. I. Fori Regii. (\*)* Vel 3. ubi vivente adhuc conjuge, matrimonium revera contrahatur, sive illam promissionem, aut hoc matrimonium adulterium anteeat, sive comitetur, sive etiam sequatur: *Cap. 3. eod. (\*\*)* Tota hæc doctrina expresse traditur ab Alphonso Nostro *Leg. XIX. Tit. II. Part. IV.* Verum animadvertere lubet, quod Correctores Romani Augustini sententiam non bene percipientes particulam non adjiciendam putarunt, quam in antiquis S. Doctoris Codicibus se invenisse dixerunt; at eam Maurini Patres in optimis Codicibus non invenerunt. Unde summi ingenii acerrimique criterii Vir Carol. Sebast. Berardi *P. III. Cap. 19.* contendit eandem particulam neque Gratiani scopo, neque Aquilini Doctoris sententiæ congruere. Aliam tamen *eadem Part. III. Cap. 69.* corruptæ à Gratiano disciplinæ causam se deprehendisse gloriatur, nimirum, quod *Can. V. Causs. 31. Quæst. I.* ex Concilio Meldensi depromptum, quemque perperam Triburiensis esse Concilii existimavit, non bene perpenderit. (\*)

XXX. Verum in utroque casu requiritur 1. ut mulier adulterum matrimonii vinculo esse obstrictum non ignoraverit: alias impedimentum non inducitur: *Cap. 7. eod. 2.* Ut tam promissio, quam adulterium conjugis mortem anteierit: *Indicatio cap. fin. eod. 3.* Ut promissio signis externis, ac sensibilibus fuerit manifestata, et simul etiam acceptata; 4. Demum ut adulterium sit utrinque formale; scilicet ut utraque pars alterius matrimonium noverit: *Cap. 1. eod.*

XXXI. Homicidium quoque dirimens impedimentum non gignit, nisi ubi vir, aut uxor cum tertio in conjugis mortem conspirat cujus revera mors sequatur, licet alter esset infidelis, et ad ejus conversionem ejusmodi occisio viam pararit: *quum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit:* *Cap. 1. de Convers. Infidelium.*



## § IV.

## IMPEDIMENTA, QUÆ MATRIMONIA DIRIMUNT SANGUINIS, SIVE NECESSITUDINIS INTUITU.

XXXII. Ejusmodi sunt *Cognatio naturalis*, sive *Consanguinitas*, *Cognatio legalis*, *Cognatio Spiritualis*, *Adfinitas*, et *Publica Sponsalium honestas*. Ac primo *Consanguinitas* est: *Vinculum personarum ab eodem stipite descendendum carnali propagatione contractum*, ut definit S. Thomas in *Suppl. P. III. Q. LIV. art. 1.* (1) Jam verò in hoc vinculo *lineæ*, et *gradus* inspiciendi. *Linea*, sive *Collectio personarum ab eodem stipite descendendum*, vel *recta* est, vel *transversalis*. *Recta* in iis personis agnoscitur, quarum una ab altera vel descendit, ut filius à patre, nepos à filio, unde dicta *descendentium*; vel adscendit, ut quum fit adscensus à filio ad patrem, à patre ad avum: unde dicta *adscendentium*. *Transversalis* in iis locum habet, qui ab eodem stipite descendunt, nec unus ab altero ortum ducit: uti fratres, consobrini &c. atque hæc etiam bifariam partitur, ut alia sit æqualis, scilicet, quum plures æquali gradu à communi stipite descendunt, uti duo fratres à patre; vel inæqualis, scilicet, quum plures à communi stipite inæquali gradu distant, uti patruus, et nepos. Porrò hic nomine stipitis personam intelligimus, à qua consanguineæ suam habent originem; nomine verò gradus majorem, vel minorem distantiam, qua unus præ alio à communi stipite distat. (2)

XXXIII. Jam verò in graduum calculo tres potissimum Canones præ oculis habendi. 1. In *linea recta adscendentium*, et *descendentium* tot constituendi gradus, quot sunt personæ demto stipite. Unde filius à patre uno distat gradu, nepos ab avo duobus, pronepos à proavo tribus &c. 2. In *linea collateralis* æquali personæ quot gradibus à communi stipite, tot invicem distant; unde duo fratres uno tantum gradu inter se distant, quia nonnisi uno gradu distant à patre, in quo conjunguntur. 3. In *linea collateralis* inæquali quoto gradu persona remotior distat à communi stipite, eodem distant inter se; unde patruus, et filius ex fratre duobus distant gradibus; quia filius ex fratre, qui est persona remotior ab avo duobus gradibus distat.

XXXIV. Atque ita se res habet in Jure Canonico: at vero Jus Civile licet in graduum *lineæ rectæ* calculo cum Jure Canonico conveniat, in *linea tamen transversa*, sive *collateralis* ab eo discedit: tot enim gradus recenset, quot sunt personæ demto stipite: unde duo fratres qui Jure Canonico nonnisi uno gradu invicem distant, Jure Civile distant duobus, quia duæ sunt personæ. Igitur Jus Civile per personarum, Jus Canonicum per distantiam à stipite gradus recenset. (3)

XXXV. *Consanguinitas* in quolibet gradu *lineæ rectæ* nullum facit matrimonium: (\*\*\*) Syn. Tolet. II. *Can. V. (\*)* et Nicolaus I. *ad Consulta Bulgar. cap. 39.* In *linea collateralis* antiquitus ad septimum usque gradum matrimonium dirimebat; quo tempore fortasse Ecclesia ex Juris Civilis calculo gradus recensebat, uti Canones à Gratiano relati *Can. I. et VII. Causs. 35. Q. II.* indicare videntur; at post ad quartum usque gradum inclusive consanguinitatem matrimonium dirimere Ecclesia sanxit: Concil. Lateran. IV. in *Cap. 8. de Consanguinit. et Adfinit.* (\*\*\*) Pluribus Hispania Canonibus hujus impedimenti observantiam injunxit. Jo. Card. Sabin. in Syn. Ilerd. in *Compil. Jo. Teres Lib. IV. Tit. II. cap. 1. An-*

(1) Consonat Lex I, tit. VI, part. IV.

(2) Lex II, tit. VI, part. IV.

(3) Lex III, tit. VI, part. IV.

dreas Albalatus in præf. Const. Synod. Const. *de Matrimonio*. Syn. Vallis-olet. *Cap. XIX.* Salmant. *Cap. X.* Hispal. an. 1512. *Cap. XXXVI.* Valent. *Sess. II. Tit. II. cap. 23.* alias 25. (\*) (1)

XXXVI. Præter cognationem naturalem bina alia cognationum genera matrimonium dirimunt; nimirum *Legalis*, et *Spiritualis*. *Legalis*, sive *Civilis* oritur ex adoptione, de qua opportunius in *Instit. Civilib.* eaque matrimonium dirimit in perpetuum inter personas, quæ adoptionis intuitu parentum, liberorumque loco sunt, vel etiam aliquando fuerunt, uti inter adoptantem, et adoptatum, adoptatque posteros ad quartum usque gradum inclusive; tum et inter adoptatum, adoptantisque uxorem, et inter adoptantem, uxoremque adoptati: ac demum idem impedimentum legibus Ecclesiasticis inductum quoque est inter adoptatum, vel adoptatam, et filios filiasque naturales, ac legitimos adoptantis, quasi jure quodam fraternitatis, quæ agnoscitur inter filium legalem adoptantis, atque hujus prolem naturalem. Verum in postremo hoc casu impedimentum evanescit, ubi vel morte adoptantis, vel emancipatione fraternitas illa dissolvatur: *Cap. unic. de Cognatione Legali.* (2)

XXXVII. Hujusmodi *Legalis* cognationis impedimentum jure civili primò inductum fuit, uti patet ex *Lege XVII. et LV. Dig. de Ritu Nuptiarum, et §. II. Instit. de Nuptiis*; quod postea recepit Ecclesia, ejusque mentio occurrit apud Gratianum *Can. VI. Causs. 30. Q. III.* Atqui Canon iste excerptus est ex sententia Caji in modo indicata *Leg. XVII.* Igitur potiùs ejusmodi impedimenti primus meminisse videtur Nicolaus I. in Responsis ad *Consulta Bulgarorum*, ubi hæc habentur: *Si qua per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me, et ipsam nuptiæ consistere non possunt.*

XXXVIII. *Cognatio spiritualis*, quæ contrahitur in Sacramento Baptismi, et Confirmationis Jure Tridentino *Sess. XXIV. Reformat. Matrim. cap. 2.* nullum facit Matrimonium inter baptizantem, et baptizatum, baptizatque patrem, et matrem; nec non inter patrinum, et baptizatum, baptizatque patrem, et matrem: item inter confirmantem, vel tenentem, sive patrinum, et confirmatum, confirmatque patrem, et matrem. (3)

XXXIX. Hujusce etiam impedimenti meminit Nicolaus I. *ibid.* ejusdemque rationem ex eo infert, quod *si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per celeste Sacramentum regeneratio S. Spiritus vincit.* Atqui sæculo VI. Justinianus *Leg. XXVI. Cod. de Nuptiis* jam sanxerat: *Ea persona omnino ad nuptias venire prohibenda declaratur, quam aliquis, sive alumna sit, sive non a sacro suscepit baptismate.* Id quod firmatum postea fuit à Patribus Trullanis *Can. LIII.* Unde patet Jure Civile fuisse priùs inductum hujusmodi impedimentum, quam Jure Canonico. Adhæc quum ejusdem ratio illa plerumque adferretur, scilicet: *Quoniam spiritualis adfinitas corporum conjunctione major est;* hinc eo impedimento non modo filios etiam, filiasque patrinorum obstringi veteres crediderunt; verum et omnes quotquot baptizatum, vel confirmatum in sacra, vel ablutione, vel confirmatione tetigissent: ita Canones à Gratiano relati *Causs. 39. Q. III.* et Decretales congestæ in *Tit. de Cognatione Spirituali.* Verum Synodus Tridentina indicato *Cap. 2.* constituit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta Sacrorum*

(1) Videatur Lex IV, tit. VI, part. IV, etiamque Conc. mexic. III, lib. IV, tit. II, s. III.

(2) Confer hanc doctrinam cum legg. VII, et VIII, tit. VII, part. IV.

(3) Consonat huic Conc. mexic. II, lib. IV, tit. II, s. IV.



*Canonum instituta, vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant: neque ultra principio recensitas personas spiritualem extendendam cognationem.*

XL. Adfinitas, sive personarum ex copula carnali exoriens propinquitatis dirimit inter consanguineos viri, et hujus viduam uxorem, et vice versa inter virum viduum, et hujus defunctæ uxoris consanguineos: (\*\*) Syn. Illiberit. *Can. LXI. et LXVI.* ac Compost. an. 1056. *Cap. III. (\*)* Antiquitus triplex agnoscebatur Adfinitas ex triplicibus gradatim initis nuptiis: nimirum primæ nuptiæ consanguineos viri reddebant uxori adfines *primi generis*, et vicissim: dein ubi superstes vidua ad secundas, tum ad tertias nuptias transiret, efficiebat secundum virum consanguineis primi viri adfinem secundi generis, ac tertium virum iisdem tertio genere adfinem; et è converso. Tria ejusmodi adfinitatis genera olim Matrimonii ineundis impedimento fuisse indicant *Canones III. et XXII. Causs. 35. Q. III.* et evidenter supponit *Conc. Lateran. III. Cap. 2. de Eo, qui cognovit consang. uxor. suæ:* ubi etiam prohibitiones de conjugio in secundo, et tertio adfinitatis genere minimè contrahendo, quippe quæ difficultatem frequenter inducant, et aliquando periculum pariant animarum, auferuntur. Unde jure novo à Syn. Trident. *ibid. Cap. 4.* firmato, adfinitas ex copula licita ad quartum, ex copula verò fornicaria ad secundum usque gradum inclusive matrimonia dirimit. Jam verò consanguinei viri non fiunt per carnalem copulam adfines consanguineis fæminæ; nec è contrario, quia *adfinitas non parit adfinitatem:* ita Innocentius III. *in Cap. 5. de Consanguinit. et Adfinitat.* Uti quoque nec inter vitricum, et uxorem privigni, nec vicissim inter novercam, et privignæ virum ulla intercedit adfinitas: *Benedictus XIV. de Syn. Diæces. Lib. VII. cap. 31. (1)*

XLI. *Publica Sponsalium honestas:* Qua ratione ex Cognatione legali, eadem quoque ex publica Sponsalium honestate dirimens exoritur Matrimonii impedimentum. Etenim, ut loquitur Augustinus *Lib. XV. de Civit. Dei cap. 16. naturalis quidem, atque laudabilis humanæ verecundiæ instinctus suadet, ut cui quis debet causa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubescere videmus, et ipsam pudicitiam conjugalem.* Sicut igitur per adoptionem quædam constituitur propinquitas inter adoptatum, et adoptantem, ita quoque per Matrimonium tantummodo ratum mulier vera est mariti uxor, et per Sponsalia desponsi saltem imperfecte jam conjuncti censentur: ex quo duplici capite dirimens exoritur *Publicæ honestatis* impedimentum. (2)

XLII. Ejusmodi impedimentum antiquitus intuitu Matrimonii rati ad septimum usque gradum se extendebat; at in Concilio Lateran. IV. ad quartum gradum restrictum est; quod Jure Tridentino nulla ex parte innovatum est, at potius firmatum. Ad eundem quoque gradum se extendebat, ubi ex Sponsalibus de futuro oriebatur, modo tamen pura essent, ac certa, id est cum certa, et determinata persona, licet quavis ratione, præterquam ex defectu consensus, invalida. Verum Syn. Trident. *Sess. XXIV. Ref. Matrim. cap. 3.* hoc quoque impedimentum primum gradum non excedere sanxit; atque adeo nullum impedimentum produci indulgit, ubi Sponsalia quavis ratione invalida essent. Quia verò Synodus Tridentina in impedimento ex Matrimonio rato non consummato, uti modò innuimus, nihil innovavit, hinc efficitur ex pristino jure ad quartum gradum extendi, licet

(1) Conc. mexic. III, lib. IV, tit. II, §. III.

(2) Ibid. et lex. XII, tit. I, part. IV, correctæ concilio laudato, cui optemperandum est, secundum leg. III, tit. VI, part. IV.

matrimonium quovis ex capite nullum esset, præterquam ex defectu consensus, aut in præjudicium priorum Sponsorum.

## CAPUT DECIMUM.

## DE DIVORTIIS.

I. Matrimonium æque jure naturæ, ac Divino individuum probat ipsa Matrimonii divina institutio. Scilicet mulier ex costa viri condita ipsi viro ea ratione in adjutorium data est, ut *duo essent in carne una;* hoc est arctissima, et perpetua conjuncti necessitudine: *Genes. II. v. 24.* Attamen æque apud Gentes, ac apud Hebræos divortia recepta sunt. Apud Gentes quidem ex morum corruptela; apud Hebræos verò, quod Deus eorum pervicaciam dissimularit: unde Hebræis divortia permissa quidem, seu potius tolerata, haud verò concessa. Tandem Christo Domino reservatum erat conjugium ad pristinam integritatem, ac sanctitatem restituere. *Quod Deus conjunxit homo non separet. . . . Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mæchatur, et qui dimissam duxerit, mæchatur:* Matth. XIX. v. 8. et 9. (1)

II. Quod verò *ibid.* Christus addat: *Nisi ob fornicationem:* hinc gravis inter antiquos Patres exarsit controversia quidnam *fornicationis* nomine intelligendum; aliis quodecunque enorme mulieris crimen interpretantibus, uti non adulterium modo, verum et homicidium, veneficium &c. ita Origenes *Hom. VII. in Matth.* alique apud Augustinum *Retractat. Lib. I. cap. 19.* aliis contra Evangelii verbis litteralem puram putamque significationem adfigentibus, scilicet *fornicationis* vocabulum non nisi veram, carnalemque fornicationem, sive adulterium efferre. Profecto altera isthæc interpretatio magis videtur fuisse apud Patres, veteresque interpretes recepta. (\*\*) Et sanè apud Hispanos Patres non alia fuisse videtur opinio, ut evincitur ex Syn. Tolet. XII. *Can. VIII.* his verbis: *Præceptum Domini est, ut excepta causa fornicationis uxor a viro dimitti non debeat. Et ideo, quicumque citra culpam criminis prædicti uxorem suam quacunque occasione reliquerit, quia quos Deus jungit, ille separare disposuit, tamdiu ab Ecclesiastica communione privatus, et a cætu omnium Christianorum maneat, quamdiu et ad societatem relictæ conjugis redeat, et partem sui corporis honesta lege conjugii sinceriter amplectatur, et foveat. (\*)*

III. Jam verò gravior indè existit quæstio: scilicet, num inducto causa adulterii, aliaque legitima causa divortio, novas inire nuptias integrum conjugibus, vel saltem viro haberetur? Nonnulli quidem ex antiquis Patribus, uti Lactantius *Divin. Instit. VI. 23.* Epiphanius *Hæres. LIX. n. 4.* Basilius *Can. IX. ad Amphilo-chium,* tum et Concilia quædam, præsertim Gallicana, uti *Compendiense Can. XIX. Causs. 32. Q. VII.* Vermeriense *ibid. Can. XXIV.* Capitularia Regum Francor. *V. 19. (\*\*)* et Alphonsus Noster *Leg. VIII. Tit. I. Partit. IV. (\*)* in eam videntur abiisse sententiam, scilicet per adulterium ipsum conjugii vinculum prorsus abrumpi, novasque contrahere nuptias licere. (2) Christiani quoque Principes suis legibus plures constituerunt, tanquam legitimas repudii causas: uti non

(1) Vide notam II in hunc tractatum.

(2) Vide notam III. in hunc tractatum.